

I. N. 7. C.  
SPECIMEN HISTORICO-GEOGRAPHICUM  
DE

SAMSOA,  
MONOMACHIA  
Veterum SCANDIANORUM  
CELEBRI INSULA,

QUOD

*Consensu Ampliss. Fac. Phil. in Reg. ad Auram Acad.*

Sub PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS  
BILMARK,

HIST. & PHIL. FRACT. PROF. REG. & ORD.

*Publico examini modeste subjicit*

STIPENDIARIUS REGIUS,

ANDREAS BJÖRKSTRÖM,

*SMOLANDUS.*

Die XII. Octobr. An. O. R. MDCCCLXV.

Loco Horisque a. m. Consuetis.

---

ABOÆ

Impressit JOANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

VIRO AMPLISSIMO,  
**D: NO NICOLAO GUST.**  
**DUNCAN,**  
S: & R: & M: tis SECRETARIO nec non DIRICTORI  
Angarorum vigilantissimo,

PATRONO PROPENSISSIMO.

*Q*uid Amplissimum TUUM Nomen, Patrone Propen-  
sissime, lucubrationibus hisce præfixerim, id nulla  
earum dignitate, nullaque virium mearum fiducia, be-  
neficia, quibus me ornatum volnisti, compensandi, fa-  
ctum esse existimes. Sed cum opportanam diu que-  
siverim occasionem, gratum, quo TE prosequor, ani-  
mum publice declarandi, hanc arripui, qua meliorem  
nec optare nedum obtinere potui aliam. Quemadmo-  
dum igitur benignitas TUA prorsus eximia piam in  
TE venerationem sola mihi elicuit atque expressit; ita  
eadem animum mihi addit, fore, ut solito, id est sere-  
no vultu primitias basce Academicas excipias, & spes  
meas, Favori TUO, ut bucusque, ita post hec jugiter  
TIBI commendatas habeas. Quod si mihi indulseris,  
novo beneficiorum numero me TIBI obstrictum fatebor;  
& DEUM T. O. M, pro TUA TUORUMque peccanni  
felicitate calidissimis defatigare precibus nunquam des-  
tam. Ad cineres usque permanensurus

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus  
ANDREAS BJÖRKSTRÖM.

BÅLKURS-PATRONESSAN,  
Våladla Frun.  
Fru ANNA MARGARETA  
NOHRSTRÖM,  
född PIHLBERG.  
Min Gunstiga Gynnarinna.

**G**er åhr äro snart försurne / sedan jag lämnade de  
mina / och hade lyckan / at såsom Handledare för  
Eder välartade Son uti Edert Hedervärda  
Hus blifwa antagen. Den ynnest / som jag un-  
der denna tid åtnjutit / är af den vigt / at ord ry-  
ka / när mit sinne tilbörlijgen borde affäldra Eder god-  
het och min wördnad. Uptagen dock et ringa we-  
dermåle af mitt tackslamma hjerta, och waren försäkrad/  
at ingen tid någonsin kan förminsta min tilgitvenhet.  
Låten, Gunstiga Gynnarinna, närvarande arbete/  
som handlar om de gamle Gjöthers enriges  
Vardalekar och den ort / som de med sin blod färgat/  
vara en pant of min skyldiga åtkänsla. Den store  
Guden tildele Eder / Min Gunstiga Fru / i unningaste  
mätto alt det / som kan hindra Edra närvarande  
sorger / och framdeles gjöra Eder lefnad både förndis-  
sam och längvarig. Så ønskar och med wördnad föcs  
blifwer

Våladla Fruns

ödmjule tjenare  
ANDERS BJÖRKSTRÖM.

BÅRS-PATRONEN,

Wälädle Herren /

AT Herr ABRAHAM NOHRSTRÖM,

Si ock

BÅRS-PATRONEN,

Wälädle Herren /

Herr JACOB BOISMAN,

Mine Gunstige Gynnare

**A**t jag vågat tifskrifwa Eder, Gunstige Gynnare, när warande Academiska arbete, det hoppas jag få mycket mera lärer urhäftas, som den Höggating jag för Eder hyser, och den uprichtiga årkånsla, som de många mig i Eder bygd bewista vålgjerningar förtjena, endost warit mitt föremål. Uptagen dersöre det, som et medermåle af mitt tacksmäma hiersta, som ej på annat sätt är i stånd at wisa sin frödiga wålwiha. Den Högste Guden bekröne Eder, Mine Gunstige Gynnare, med all andelig och lekamlig välsignelse, samt gjöre Eder wandel mångårig, fäll och glädjefull. Framhårdar med mycken högaktning.

Mine Gunstige Gynnares

ödmjike tjenare

ANDERS BJÖRKSTRÖM.



## PRÆFATIO.

**Q**uocunque oculos per theatrum hujus universi circumferimus, singula multis mirisque mutationibus obnoxia deprehendimus, nec diurna gaudet constantia, quidquid naturæ legibus pareat. Consideremus enim altissimes robustissimasque arbores, & ipsa nos docebit experientia, quod vel fulmine tæctæ diffingantur & exemplo concidant, vel gravibus securium ictibus intra breve satis temporis momentum radicitus dejiciantur. Nec adeo firmi sunt montes, quamvis particulas eorum quasi consolidavit natura, quin aëris tempestatumque injuriis sensim fatiscant. Luculentissima etiam hujus mutationis vestigia cernimus in aliis operibus, quorum moles, quantumvis magna, ipsis diu conservandis nequaquam sufficit. Ubi enim, quæso, ingentes urbes, quarum magnificentiam & amplitudinem tantopere

A

celebrant

celebrant vetustissimi Scriptores? Nonne multarum nec vola nec vestigium amplius appareat, aliarum vero horrenda tantum supersint rudera? adeo ut in ilias quadret, quod de Troja quondam cecinit Poëta:  
*Jam seges est, ubi Troja fuit ressecandaque falce  
 Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus (a).*

Quid? quod multæ regiones, etiam quæ olim celebres adeo fuerunt, ut ipsarum limites exponere minus necessarium doxerint Historici, hodie ignorentur, adeo ut situm earum exacte determinare nequeamus. Possemus equidem hujus rei plurima adferre exempla, verum unico tantum sententiam nostram comprobabimus. Quam inclyta olim fuerit *Rid-Gothia*, neminem, nisi idem in Historia Patriæ plane hospes fuerit, fugere potest. Ubinam autem ipsa nostro ævo sit invenienda, multum inter se disceprarunt Historici. Alii enim eandem *Smolandia* partem fuisse existimant, alii ipsam ad Svediam Borealem pertinuisse autumant; quam alii rursus in confiniis *Finlandia* & *Russia* sitam fuisse, probare nituntur. Causa tot diversarum opinionum hæc proxima videtur, quod hujus & aliarum regionum nomina in alia, sed quæ ignoramus, mutata fuerint; unde factum est, ut in ipsis locis desiderata loca anxie nonnunquam quæramus. Cum itaque integræ provinciæ talem subierint mutationem, quis miretur, quod minora loca nunc ægre detegantur. Valet hoc imprimis de insula, quondam maxime celebri, **SAM-SÖ** dicta, cujus qualemcunque illustrationem in nos suscepimus. Supereft quidem nomen ejus, sed tantum in antiquissimis monumentis; ipsi enim insulæ non

non amplius adhæret. In tam obscura indagatione & inter tot sinuosos dubitationum anfractus quam proclive sit, a veritatis loxodromia deflectere, æquus quilibet antiquitatum æstimator facile intelligit; quamobrem Benevoli Lectoris mitiorem nobis exceptimus censuram, velit, innoxios hos conatus æqui bonique consulere, &, si quid his rectius novit, suas observationes candide nobis impertire.

(a) Vid OVID. *Her. L. I. E. I. v. 53, 54.*

§. I.

**S**icut corporum robore & animorum alacritate eminebant majores nostri, ita quoque fortitudinem suam quavis occasione probare nitebantur. Sed cum ætas eorum in ea inciderat tempora, quibus crassa ignorantiae caligo totum fere orbem tegebat, minime erit mirandum, quod veram fortitudinem a falsa seu a temeritate non satis distinxerint, atque genuinam gloriam vel ignoraverint vel neglexerint. Argumentum hujus rei evidensissimum est, quod Sveo-Gothis, æque ac ceteris fere omnibus populis arriterit *Monomachia*, seu certamen singulare, in quo alter alterum, a quo injuriam quandam se accepisse opinatur, stricto gladio vel aliis armis ad necem usque persequitur. Qui alterum provocaverat, locum etiam illi indixit, qui communiter vel fuit prope Regiam in circis, *Lekvallar* dictis, ut plures & illustriores haberent spectatores, vel etiam in insulis, ut negotium totum solis pugnantium animis & viribus eo liberius relinqueretur; quamobrem hoc pugnæ genus in

vetustis nostris annalibus Holmgang dicitur, scilicet, quod in insulis præsertim vindictam extorquerent prisci pugiles. Duo autem maxime celebria loca his certaminibus adsignat historia *Hervaræ*, alterum ad Goth-Elbam (Gothha Elf) non procul ab ingenti illo a-quarum præcipitio, quod adhuc *Trollhättæ* appellatur, ubi *Hergrimus* atque *Starkotterus* de virgine quadam, *Ogn* dicta, acerrime inter se sunt digladiati. Alter autem locus erat in insula *Samsjö*, quam Gothicorum roborum sanguine cruentatam fuisse, mox ostendemus.

## §. II.

**I**N Etymologia nominis *Samsjö* evolvenda non diu occuparemur, nisi paullulum eidem immorari posstularent partim diversæ Auctorum in hoc argumen-to sententiæ, partim etiam ipsum etymon, quod rite explicatum, viam nobis monstrat, ipsam insulam facilius inveniendi. Sunt igitur nonnulli, qui *Samsjö*, quasi *Regiam insulam* appellatam volunt, ideoque nomen hoc, ut videtur, deducunt ab antiqua Gothica voce *Sæmd*, quæ honorem & decus significat, unde *Sæmdliga*, *honorifice* & *splendide*. Enimvero cum isthæc derivatio characterem nullum distinctivum insulæ *Samsjöæ* nobis exhibeat, neque ostendi queat, Reges quondam in Insula *Samsjö*, quam demumcunque ex infra recensendis ceu genuinam adsumamus, vel sedes habuisse vel decertasse, etymologiam hanc Auctoribus suis defendendam merito relinquimus. Alii rursus deri-vant *Samsjö* a Goth. *Samman*, *conjunctim*, *invicem* &

& Ó *insula*, sed qui circa significationem mox abeunt in diversa. Quidam enim multitudinem insularum seu Archipelagum Borealem sic indigitari existimant; quæ opinio exinde corroboratur, quod Historia Hervaræ subinde indicet, plures insulas hoc nomine olim comprehensas fuisse. Sic legimus: *Enn er veitz-luna tbuerrar, byrja Andgrims Syner ferd fina til Sams-ejar h. e. cum convivium jam fere esset peractum, Andgrimi filii itineri ad insulas Samsöar fese accingebant.* Et paucis interjectis: *Andgrims Syner fo, so tha til Samseijar i. e. Andgrimi filii ad insulas Samsöar tunc sunt profecti* (a). Alii iterum cogitantes, quod *Sam-Lag & Holmgaunga-Lag* in antiquis monumentis sint synonyma, indicentque regulas a Monomachis observandas, insulam *Samsöam* ita nuncupatam putant, quod pugilum Gothorum certaminibus olim fuerit celebris. Quamvis autem non diffitemur, quin utraque hæc opinio, ad verisimilitudinem prope accedat, nos tamen vocabulum *Samsö* potius deducimus a lacu *Saimen*, in quo eam sitam fuisse mox ostendemus, & Goth. Ó *insula*, adeoque *Samsöa*, vi originis vocis, denotat insulam in lacu *Saimen* positam (b).

(a) *Vid. Hervara bis. Cap. V. p. m. 67.* (b) Plura, quæ tam ad illustrationem hujus etymologicæ pertinent, quam quæ de SAMBIS scitu sunt necessaria & jucunda persequitur Cœleb. D:rus Praes in *Differ. I. de Holmgardia p. 22. & seqq.*

## §. III.

**I**N *Samsöæ* nostræ situ rite determinando majorem  
A3 inter

inter Auctores convenientiam non deprehendimus, quam modo observavimus in Etymologia nominis hujus definienda. Nonnulli enim maxime probabile censentes, quidquid primo intuitu se esse illis offerat, *Samsöam* veterem, quæ nostræ est considerationis, non aliam esse putant, quam insulam Daniæ, quæ idem nomen etiamnum conservat. Quam quidem sententiam plerique Danicorum Scriptorum tenent, sola tamen nominum convenientia sufficiunt. Quisquis autem itinera veterum in *Samsöam* consideraverit, facile comperiet, illam ad orientem respectu Svethe sitam fuisse. Nec nominum similitudine, nobis objecta, multum turbabimur. Sicut enim in Svethe & Dania plura occurunt loca, quæ communi nomine gaudent, lubrica autem foret argumentatio, si quis illustria facta, quæ in uno illorum contigerunt, alteri promiscue vindicare vellet; ita quoque *Samsöam* Danorum propter solam nominum affinitatem, Monomachia veterum Scandianorum celebrem fuisse, tamdiu merito dubitamus, donec firmioribus convincamur argumentis. Quam ob rem etiam Clarissimus Historiæ Hervaræ Editor adeo de dicta insula dubitavit, ut aliam eo nomine in mari Ballico Samiam crederet. Ita enim scribit: *Parum abest, quin credam insulam aliquam inter Sveoniam & Russiam in Baltico mari sitam, isto nomine designari, praesertim cum mox addat Auctor Hervaræ: thar attu Andgrims syner for um b. e. Andgrimi filiis ad Samsöam insulam properantibus, iter faciendum erat per Aldejoburum (a).* Parum certe a veritate, ut in aliis, ita quoque

que in hoc argumento absuit magnus hic Historicus; eandem tamen penitus non attigit, dum *Samsöam* in mari Baltico positam fuisse existimat. Ceteris prolixius in *samsöae* situ determinando occupatur SALANUS (b). Primum igitur monomachos, *Samsöam* contendentes, in lacum Ladogam deducit, quem cum trajecerunt, translato per brevem Isthmum navigio, in vicinum Chronium mare pervenerunt, & hinc transvecto NordCap ad aliam Samiam notissimam, non longe a Charybdi Norvegica (*Mälströmen*) se-junctam, appulerunt. Rationes suæ opinionis, duas potissimum ad fert, I: mam, quod veteribus Scandianis esset persuasum, prope hos aquarum gurgites, esse portas tam camporum Elysiorum, quam Averni; ad-eoque in his præcipue locis certamina singularia instauerunt, quia quo propriores essent in agone mortis ad iltos introitus, eo breviores forent animarum suarum migrationes ad illa receptacula, in quibus post hanc vitam commorarentur. II. Quod hæc loca majorum eorum itineribus & fortibus factis es-sent illustria. Enimvero si dicendum quod res est, Doctissimus SALANUS Monomachis nostris non comitem sese adjungit, ut par omnino fuisset, sed ducem se illis obtrudit, & prius quam portu solvit videt terram, ad quam appellere debet. Quis enim, quæso, Palinurus in aurem insuffravit SALANO, quod Monomachi Gothici per Ladogam lacum, per mare Chronium, & sic porro ad Charybdim Norvegicam navigaverint? Hoc cerre eorum iter ignorant annales, quos adspicere nobis licuit, nec opinionis suæ pignora ulla adducit Clarissimus hic

Auctor

Auctor. Quid? si similem aquarum voraginem, adeoque *nudus* *ris* *adg*, in vicinia Ladogæ invenire potuerint accerrimi pugiles, si modo animas suas post obitum adeo segnes credidissent; nonne tunc verisimilius est, quod prope hanc certamina sua inierint? Brevitati litantes, multa adhuc silentio præterimus, quæ contra SALANI conjecturam moneri possent.

(a) *Confr. VERELII Notas ad Hervaræ bift p. m. 73.* (b)  
*Vid. SALAN. not. ad EIGILLI & ASMUNDI bift. p. m. 119 & 120.*

#### §. IV.

**T**Entemus jam, an ad *Samsöam* navem nostram appellere queamus. Huc nobis contendentibus unicam & satis commodam cynosuram sese præbet Historia Hervaræ. Sed erit res paullo altius repetenda. Svecorum Rex INGO habuit filiam eximiae pulchritudinis INGEBURGEM, cuius nuptias simul ambierunt Princeps Bolmfoënsis HIORWARDUS *Andgrimi* Filius, atque HIALMARUS *bin bugfille* dictus, vir fortissimus, qui eo tempore in aula Ingonis versabatur. Ingeburgis, cui Pater in re tam dubia facultatem concedebat, quemcunque horum heroum vellet, sibi conjugem eligendi, Hialmaro sine hæsitatione dextram fidemque dedit. Quam contumeliam, cum æquo animo minime ferret *Hiorvardus*, Hialmaro indixit, ut in *Samsöa* secum singulari certamine decerneret, ubi hoc negotium conficerent. Accepit conditionem *Hialmarus*: notandum est autem, quod omnibus ad iter comparatis, *Andgrimi* filii ad *Samsöam*

sōam profecturi per urbem Aldejoburgum transferint,  
 cui tunc præterat Jarlus, BIARTMARUS dictus,  
 qui eos lauto admodum exceptit hospitio. Sed cum  
 instaret tempus, quo certamine singulari cum HJAL-  
 MARO congrederetur HJORVARDUSHinc ad Samsōam  
 ipse & undecim fratres ejus se contulerunt; quæ  
 proinde in confiniis Aldejoburgi erit quærenda.  
 Ad dictum locum paullo ante convenerant HJAL-  
 MARUShujusque commilito ODDUR, HIN WIDFAR-  
 NI, eaque insula, quæ campus horum virorum  
 fuit, expresse dieitur *Unnarwāg*, id est: *Hunnorum*  
*profunda vorago*. Scilicet *Samsōa* nomen generale,  
*Unnarwāg* autem speciale fuisse videtur (a). His jam in-  
 diciis jugiter observatis, a desiderata insula parum,  
 ut speramus, declinabimus. Principes enim Bolms-  
 öënses, relicta Svethia, transferunt Sinum Fennicum,  
 ingressique fluvium Nævam Aldejoburgum, quod  
 situm erat in loco, ubi Ladoga lacus in hunc fluvium  
 se exonerat (b), pervenerunt. Ex portu deinceps  
 hujus oppidi solventes, post aliquot milliarium na-  
 vigationem ad ostia fluminis *Woxen*, quod in La-  
 dogam evolvitur, appulerunt, & per hoc denique  
 ad insulas lacus *Saimen*, *Samseijar*, accesserunt. Scilicet  
 in ea, qua nunc laboramus monumentorum inopia,  
 priscis nominibus penitus obliteratis, plene  
 determinare non valemus, utrum insula *Unnarwāg*  
 vel in ipso lacu *Saimen* vel etiam in flumine *Wo-  
 xen*, quod illius aquas vehit, sita fuerit. Quid-  
 quid vero sit, non longe abfuit hic locus ab in-  
 genti aquarum præcipitio, quarum impetu vicini

montes & silvæ concutiuntur (c); quod proinde est altera Scandinaviæ cataracta, quæ Trollhättam Westro-Gothicam fragore aquarum æmulatur.

(a) *Vid. Hervar. Hist. Cap. V.* (b) *Confr. Dissert. II. Celeb. Dni Präsidis de Holmgardia p. 31.* (c) *TUNELDI Geograph. p. m. 440.*

### §. V.

**Q**Vanivis ea, quæ in medium hactenus attulimus, dilucide, ut opinamur, indicent, ubinam Samjöa sit invenienda; juvat tamen sententiam nostram aliquot adhuc corroborare argumentis. Primum itaque sumimus ex ADAMO BREMENSI, qui in Descriptione itineris maritimi, facti a Sliasvigo in Slavonia, quæ non alia est, quam Pomerania, vel Prussia seu Borussia, hinc iter patere dicit in Svedium, in Semlandiam &c. Hanc non aliam esse, quam Finlandie nostræ oram vel exinde patet, quod prope hanc constituant paludes Scythicas, per quas iter patet in Graciam seu Holmgardiam (a). Cum itaque Semlandia sit Finlandia, atque Fenni olim dicti fuerint Sembii, ceu docet Nob. WEXIONIUS (b), Samjöa quoque intra Finlandiæ pomœria erit quærenda. At quo, cedo, opportuniiori loco, quam quem nos determinavimus §. IV. Alterum argumentum nobis subministrat MATTHIAS PRÆTORIUS, qui Samiam ad Russiam refert, eandemque Sambiam hodie dici perhibet (c). Enimvero sic in censuram Doctissimi SALANI, imme-

rito, licet, incurrit, qui existimat Andgrimi Filios *Aldejoburgum* præterire necesse non habuisse, si in Russia sita fuerit *samsöa*. Sed fatis superque ostendimus, quod maritimo itinere haud alia via ad *Samsöam* pervenire potuerint hi pugiles, quam ut *Aldejoburgum* præternavigarent, & idem forte deprehendisset Clarsimus **SALANUS**, si rem ipsam penitus consideraslet. Tertium nobis præbet vox *Unnarwág*, quam profundam voraginem Hunnorum significare modo innuimus. Enimvero si Hunni sedes fixas uspiam habuerint, eadem certe in confiniis Finlandiæ atque Russiæ erunt inveniendæ, ut evictum nuper legimus (d). Quamobrem *Unnarwág*, quæ ditioni ipsorum paruit, inter lacus *Saimen* aut fluminis *Woxen* insulas sita fuit. Denique si ut verum ponamus, quod **SALANUS** memorie prodit, scilicet Monomachos præcipue prope cataractas certamina singularia, quæ illustriora essent, instituisse, nimis ut vietus protinus post obitum in aulam OTHINI admitteretur, profecto juxta cataractas *Woxen* aptissimum invenerunt locum, unde ex illorum persuasione compendiaria via ad alteram vitam pervenire possent. Atque tot, quibus potiora nullibi adhuc invenimus, indiciis moti, haud dubitamus *Samsöam* insulis lacus *Saimen* annumerare.

(a) Vid. Libr. de situ Terrar. Septentrionalium. (b) Vid. libr. I. de orbe Gotbico Cap. V. §. 5. (c) Vid. Dissert. Svec. II. 8. fin. (d) Confr. Dissert. II. de Holmgardia. p. 18. seq.

## §. VI.

**P**rävidemus autem satis superque, quempiam a nobis quæsitorum, quam ob rem longinquas adeo terras, qualis *Samsöa* putatur, prisci Svecorum pugiles petierint, & quare non potius e vestigio, & in obvio quodam angulo strictis gladiis obortas deciderint **controversias?** Nodus omnino hic est, Gordio soluto vix facilior, cui proinde rite enodando, tenuis, qualis nostra est, industria nequaquam sufficit. Tentabimus tamen, quo usque in negotio, densis adeo te-nebris involuto, progredi valeamus. Primo itaque sciendum est, quod veteres Sveo-Gothi æque versati fuerint in *Holmgardia*, cujus ambitu continebatur *Samsöa* nostra, ac in ulla alia Patriæ provincia, quod frequentissimæ in hoc regnum suscepτæ expeditiones luculenter produnt: quamobrem haud difficilius iter putarunt, ad insulas lacus *Saimen* proficisci, quam ad illas, quæ vel in *Mälero* vel in *Venero* sitæ sunt. Præterea fortitudinis atque generositatis insigne arbitriati sunt documentum, non primo iracundiæ ferve-re inimicos suos aggredi, sed tempus & locum esse constituendum, ut ab utraque parte omnia possent parare, antequam fortunam & vitam suam aneipiæ aleæ committerent. Quare etiam ex annalibus discimus, quod & præstantissima sibi quæsiverint arma, & prudentissimos viros super re tanti momen-ti sedulo consuluerint. Denique in remotioribus oris hoc certamen instituerunt, tum ut masculis hisce factis exterorum quoque admirationem sibi devinci-rent,

rent, tum quod victoriam eo speciosiorem putarent, quo magis aperto marte certamen fuerat commissum: illam constantiam magni semper facientes, quæ nec per spumantes fluctus, nec per temporis moram torpesceret. Alias harum peregrinationum cauñas sagacioribus detegendas relinquimus.

## §. VII.

**O**pportuna adeo jam nobis suppeditatur occasio, de indole certaminum singularium, inter Sveo-Gothos receptorum, differendi, ut nobis temperare nequeamus, quin præcipua eorundem momenta proponamus. In hoc pugnæ genus adeo propendebant Majores nostri, ut perversam hanc consuetudinem per totam fere Europam una cum gloria victricium armorum olim propagaverint. Speciosam quidem judicarunt victoriam, quæ conjunctis viribus & instructa acie parabatur; quandoquidem vero laus palmae reportatae hic pluribus eslet communis, illam multo speciosiorem censuerunt, quam quis suo tantum gladio & brachio sibi acquireret, quippe quæ ad victorem in solidum pertinebat. Hæc tamen non eo sunt trahenda, quasi majores nostri fuerint Auctores nefariorum horum ludorum, neque antiquitatem eorum vel ad FROTHONEM FRIDCODE Daniæ Regem cum Saxone Grammatico, vel ad FROTHONEM I cum aliis referre audeamus; sed verisimile est, hujusmodi certamina statim post usum armorum, præsernit e ferro confectorum, invaluisse, nomine illorum

auctoris æternis, quibus dignum erat tenebris, involuto. Sed e diverticulo in viam. In monomachia veterum Svio-Gothorum spectari debent personæ, locus, tempus, rationes propter quas certamen initum, & denique modus pugnandi. Personæ regulariter erant Provoeans & Provocatus, qui vel soli congregiebantur, vel suos etiam habuerunt armigeros (*Skialdsveiner*), qui scutis ipsis inter pugnandum tegerent (*a*). Alia occasione in societatem certaminis plures secum adsumserunt comilitones, quorum numerus ab utraque parte modo æqualis fuit (*b*), modo rursus inæqualis, quo tamen postremo in casu unus nunquam a raro simul cum pluribus pugnavit (*c*). Sic OD-DUR HIN WIDFARNI cum undecim Andgrimi filiis seorsim pugnavit, omnesque interemit (*d*). Similiter legimus quod ASMUNDUS KAPPARBANI (*pugilum interfector*) omnes pugiles HILDE-BRANDI & tandem ipsum hunc ducem pugna singulari prostraverit (*e*). Interdum aleam certaminis velut experturi, commilitonibus suis prius permiserunt pugna congredi. Sic STURLAUGE-RUS & FRADMARUS sociis facultatem dederunt, prius inter se digladiandi, quam ipsi certaminis discrimen subierunt (*f*). Quod si provocatus vel majoris esset dignitatis, quam provocans, vel ætate jam proiectus, adeoque rigidis hisce exercitiis minus jam habilis, in sui locum alium, quem demumcunque vellet, sine dedecoris nota substituere potuit. Sic HARALDUS GULLMUND a

KOLONE *bin* KRAPPE ad monomachiam provocatus, primum in illam misit HENNINGUM, notæ fortitudinis pugilem, & cum hic pugna cecidisset, altera vice ablegavit STURLAUGERUM, qui KOLO-NEM occidit (*g*). Talis monomachus dicebatur a nostris Holmgunga-Madur, item *Kappe* (*b*), & certamen *Holmgung* atque *Einlige*; inter quæ hoc tamen discrimen faciunt Historici, quod hoc legibus fuerit permisum, illud autem ad Ius Talionis pertineret (*i*). Quod ad locum pugnæ at-tinet, jam dudum observavimus, quod in parvis insulis (*Kapparholmar*) plerumque confluxerint, ne elabendi via esset, circumflua præcipitique aqua valli instar fugam impediente (*k*). Tempus vero, quo ad hæc certamina citabantur, erat principium veris, *thegar lidur he vturenn i. e.* cum tempus hyemale jam præteriit. Cujus instituti binas has probamus rationes, partim quod id tempus op-portunissimum esset rebus gerendis, partim quod pugnæ, feriis Julii indicæ, prius suscipi non possent (*l*).

(*a*) Vid. ROLFI & GOTHRICI Hist. p. m. 241. (*b*) STURLONIDIS Heimskringla Tom 1. p. m. 239. (*c*) Hinc ODDUR in Campo martio exclamavit: *eirn skal vid eirn -- erofto heiða*: *i. e.* unus adversus unum pugnabit, vid. HERV. hist. p. m. 69. (*d*) Confr. modo cit. HERV. Hist. p. 70. (*e*) Vid. ASMUNDI KAPPARBANES Hist. Cap. VIII. p. 15; seqq. (*f*) Vid. STURLAUG. Hist. p. 29. (*g*) Confr. STURLAUG. Cap. VII. & X. (*b*) ALFUMI Kappi micill oe Holmgunga Madur *b. s.* ALFUMUS vir fortissimus & maximus pugil, vid. STUR-

*STURLONID.* lib. cit. p. 238. (*i*) Vid. *DALINI Hist. Patr.* Tom. I. p. m. 209. (*k*) Vid. *PONTOPPIDAN.* de rebus gestis Danorum extra Patr. Tom. II. n. 113. (*l*) Vid. *TOLPO.* *Dissert.* de Monomachia veterum Hyperboreorum p. 6.

### §. VIII.

**R**ationes ob quas in hanc pugnam, gravissimam utique, descenderunt majores nostri, in annalibus repemus minime graves. Ea quippe fuit hominum ista tempestate ferocia, ut quamcunque injuriam, etiam quæ ex opinione tantum læsi talis erat, sanguine lædentis expiandam censuerint. Sic si duo formosæ cujusdam virginis nuptias ambirent, gratiora se munera illi oblaturum desperavit procus, quam si opima spolia & imprimis alterius caput puellæ traderet. Hinc legimus, quod *STURLAUGERUS* in matrimonium non prius obtinuerit ASAM, *RINGERI* Filiam, quam *KOLONEM*, cui ipsam Pater, invitus licet, desponderat, trucidaverat (*a*). Et hæc quidem consuetudo nondum ita in desuetudinem abiit, ut non præceptus venustæ virginis favor, vecordia interdum præcordia in certamen singulare ciere queat. Præterea tanta fuit quorundam pugilum fortitudinis atque præstantiæ suæ opinio, ut ne parem alium, nemus superiorem ferre potuerint. Quare si fama robusti cujusdam viri alibi increbresceret, non prius quieverunt, quam illum convenienter, vires & alacritatem ejus singulari certamine experturi (*b*). Deinde notandum est, quod cum res quædam ambigua aut obscura esset, cui illustrandæ testimonia &

alia

alia documenta deessent, tunc aleæ negotium com-  
miserunt, illum innocentem & veridicum judicantes,  
qui adversarium protervare valeret (c). Venique si  
alter eorum, inter quos devota intercedebat amicitia,  
in certamine singulari occubuisset, alter tenebatur,  
victorem in certamea provocare, atque ita amici mor-  
tem ulcisci. Sic cum STURLAUGERUS occidisset  
KOLONEM, hujus amicus FRADMARUS cauillam  
defuncti in se suscepit, & STURLAUGERUM in cer-  
tamen citavit, sed pugiles hi ad postremum fraternitatis  
fœdus inter se iniverunt.

---

(a) Vid. STURLAUG. Hist. Cap. X. (b) Vid. ROLFI &  
GOTHR. Hist. Cap. XX. p. 127. (c) LOCCENII Antiq. Spie-  
Goth. Cap. V. p. 45. (a) Vid. STURLAUG. Hist. p. 33.


### §. IX.

**C**irca modum monomachiam instituendi occurunt  
momenta scitu nequaquam ingrata, quorum non-  
nulla proponere juvat. I. Igitur solemniter ad certamen  
citabantur, qui sese lacesiverant, & conclusio, quæ  
citationi adjiciebatur, hæc erat, ut, qui condicto loco  
& tempore non compareret, infamis ab omnibus ha-  
beretur. Unde aug kvadr bonum vera hvars kappes  
Nidingur ef er gingr fra fir ban hafdi beriaſt i. e. Et  
omnium viliſſimum appellandum dicebat, si ante dis-  
cessum suum certamen iniure detrectaret (a). Non so-  
lum autem Nidingr, verum etiam Thrif-Nidingr h. e.  
aliorum fortitudinem contumelia incessans, cum ipse  
foret ignavus & imbellis nuncupabatur, sicut ex ve-  
tustis nostris legibus dilucide constat. II. Quod si al-  
ter non compareret, alter hinc discedens palam pro-

fessus, alterum tanto deteriorem esse: MADUR *des sām-*  
*re*, quod certamine defungi non auderet (*b*). III. Si ante  
 constitutum tempus utriusque venissent, casis exstructis,  
 per noctem quiescebant, ut armati prima luce, quæ  
*Wigloſt* i. e. *certaminis lux* dicebatur, congrederen-  
 tur (*c*). IV. Licet Monomachia, ut diximus, ple-  
 rumque fiebat in insulis, attamen si accepta contumelia  
 gravior esset, quam ut vindicta differri posset, cir-  
 culus in arena pingebatur, quem pugnaturi conse-  
 stim ingrediebantur. V. Monomachis autem arma-  
 tis subjiciebatur corium, intra quam Rhodum suam  
 ostenderent industram (*d*). VI. Hinc vel e vesti-  
 gio truculentum negotium sunt adorsi, vel in ante-  
 cessum variis convitiis & exprobationibus mituam  
 extimularunt rabiem (*e*). VII. Interdum gladios  
 inimicorum lustrarunt, indeque omen de pugnæ even-  
 tu ceperunt (*f*). Interdum quasi non satis gravis  
 esset pugna, si vitam alter alteri eriperet, ut certa-  
 men adhuc intenderent, deposuerunt insuper parem  
 auri & argenti molem, quæ victori in præmium cede-  
 ret (*g*). VIII. Deinde legem monomachiæ, *Holmgau-*  
*ga-lagen*, alter recitabat, quæ hac potissimum regula  
 continebatur, quod Provocans primum ictum excipe-  
 ret (*b*). IX. Ulterius notandum, quod hoc certa-  
 men aliquando fuerit valde breve, interdum au-  
 tem in plures dies protraheretur, antequam alteruter  
 occumberet. Toto autem hoc tempore simul ede-  
 runt atque biberunt, immo varios ludos, minus tru-  
 ces, instituerunt, ut sic animi & corpora ad ictus su-  
 stinendos eo magis firmarentur (*i*). X. Certamen  
 hoc tam diu duravit, donec alteruter vel caderet,  
 vel

vel vulneribus oppressus, vietas daret manus. Quod si victus fortiter pugnasset, & singularem animi magnitudinem atque constantiam monstrasset, pugnantes fœdus fraternitatis inierunt, quod tamen offerre viatoris erat, victo autem salutem petere minus conveniebat (*k*). XI. Maximo ille adficiebatur dedecore, qui alterum, secum pugnantem, dolo aut fraude quamdam circumveniret (*l*). XII. Ex lege Monomachias tenebatur quoque viator alterum sepelire, & terra rite condere (*m*). XIII. Sequentibus vero temporibus, cum fœditatem & vanitatem horum certaminum viderent Svio. Gothi, legibus eorum sanctum fuit, quod qui duello occumberet, in humo non lustrata, *i ogildan akri*, sepeliretur (*n*). Forte ut homines eo magis a pernicioso hoc feso maestandi pruritu abittererentur, hanc pœnam legi affigendam curarunt primi in septemtrione Evangelii Præcones. Sed pluribus hæc periequi, vetant facultates & imperata nobis brevitas.

(*a*) Vid. *Hif. HALMARI Regis Biarmland. & Tulemarchie a JOHAN. PERINGSKÖLDIO edit. Fot. VI. p. I.* (*b*) Confr. DALINI *Hif. patr. Tom. I. p. m. 209.* (*c*) ULF'S UGGASONAR *Hif. Cap. 3. p. m. 13.* (*d*) Vid. STURLAUG *Hif. p. 24. & 22.* (*e*) Vid. STURLAUG *cit. Hif. p. m. 25, & SALANI not. ad EIGILLI & ASMUUND. Hif. p. m. 117.* (*f*) Vid. STURLAUG. *Hif. p. 24.* (*g*) Vid. STURLAUG. *Hif. p. 24.* (*h*) Confr. TOR-STANI WIKINSONII *Hif. Cap. IV.* (*i*) Vid. EIGILLI & ASMUUND. *Hif. Cap. 2. p. m. 12.* (*k*) Vid. ROLFI & GOTH. *Hif. p. m. 129.* (*l*) Oc vinna thetta med ongum traudskap h. e. omni candore pugnarent. *Vid. cit. GOTHR. & ROLFI Hif. p. m. 127.* (*m*) Vid. ORWARODDI *Hif. Cap. XX.* (*n*) Vid. JOH. WILDE in *Hif. Legum Patriæ p. m. 46.*



AUCTOR Præstantissime,  
Amice Optime,

OppORTUNA adeo jam mihi suppeditatur occasio  
amorem, quo Te prosequor, declarandi, ut  
mihi temperare nequeam, quominus lætitiam, qua  
perfundor, TIBI reddam testatam. Et certe mi  
hi deessem, nisi TUAM per plures annos memet  
litteris instituendi & rite educandi indefessam ope  
ram gratus agnoscerem. Ingenue itaque profiteor,  
salutem meam TIBI temper curæ cordique fuisse;  
cumque gratias TIBI referre nequeam, easdem ta  
men agam habeboque maximas, officiosissimas.  
Gratulor præterea TIBI felicissimos in studiis pro  
gressus, nec non specimen hoc Academicum, quod  
multam certe olet lucernam. Quod reliquum est,  
ex intimo pectore opto voveoque, velit DEUS O.  
M. honestissimis Tuis conatibus ita adesse, ut cun  
cta TIBI prospere cedant, atque ut præmia & or  
namenta, quæ sedulos litterarum & virtutum cul  
tores manent, quam primum consequaris uberri  
ma, lætissima. Vale.

JOHANNES NOHRSTRÖM.